



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt XVI. Altempſij Cardinalis diſceſſus. Pontificis conſilium de addendis Legatis; ſed depositum. Nouae tricae in reficienda forma ſeptimi Canonis, ad Epiſcoporum inſtitutionem ſpectantis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11718

fuit & Purpurâ à Callisto, & hoc demortuo, supremâ tiarâ à Cardinalibus¹. Contigit alterum Caietano superstitite, & ex parte sub eodem Pontifice, à quo ipse Purpuram accepit, in Adriano Florentio; qui quamquam sustinisset in suis Commentariis aliquam in Conciliis prærogatiuam supra Pontificem, tamen à Leone in Collegium cooptatus est, & post eius mortem, ob commendationes, præsertim Caietani, electus Pontifex.

Secundo loco, quod spectat ad Ordines Regularium, Suavis numquam mihi suaferit, Episcopum Parisiensem voluisse ea opimenta in lucem reuocare, quorum causâ Guillelmus de sancto Amore, aliique eius asseclæ reiecti sunt vt hæretici à S. Thoma. Nos verò alibi demonstrauius, homines politicos vel maximè impios, qualis fuit Nicolaus Macchiauellus, fateri, ab his Ordinibus & Ecclesiam & Fidem sarta recta seruatas. Quin potius Gallia meritò gloriatur, multos præcipuos ex illorum Ordinibus, multosve ex ipsorum Fundatoribus à se traxisse siue natalem lucem, siue lac, siue educationem. Sed cum clarus quidam Poëta^k per allegoriam innoxiam vero inclytam illam regionem quasi Berecinthiam quamdam Deorum matrem depingat, noster Historicus eam quasi quamdam Medæam audet describere, in suos amabiles filios alumnosque sæuientem.

¹ 1562.
¹ 1458.

^k Carus in celebri Cant. Venite ali' ombra de gran Gigli d'oro.

C A P V T XVI.

Altempfij Cardinalis discessus. Pontificis consilium de addendis Legatis; sed depositum. Nouæ tricæ in reficienda forma septimi Canonis, ad Episcoporum institutionem spectantis.

MOra, quam innecebat Synodo hæc noua semper & ferè impacata opinionum dissidia, Altempfium Cardinalem impulit, vt peteret impetraretque facultatem à Pontifice Tridento abeundi, ad Constantiensem Ecclesiam suam inuisendam, ac postea redeundi. Profectus igitur est exeunte Octobri^a: & sicuti profectiones temporariæ sæpè in perpetuas mutantur, ita Legati postea munere solutus est, cum experienciâ constitisset, neque patriam aut nobilitatem satis illi fuisse pro concepta iam spe ad complures Germanos ad Synodum pertrahendos, nec per ætatem adhuc illi licuisse prudentiâ doctrinâque maturescere ad prægrandia illa molimina. Ex altera parte induxerat in animum Pontifex addere Concilio novos Legatos, duos ex illis, quos apud se designarat

^a Litteræ Borrom. ad Legatos, 12 Octobr. 1562.

Historia
Concilij Trid.
Lib. 18. Cap. 15.

1562. gaarat paucis antè mensibus^b, sicuti dictum est: hi erant Burdesius
 & Nauagerus. Considerabat, ab utroque, quippe minoris in Col-
 legio notæ quàm Mantuanus, primi Legati dignitatem illæsam illi
 seruatum iri, adeoque existimationem, animique alacritatem: &
 alioqui videbantur rerum conditionibus optimè idonei. Etenim
 præter ea quæ aliàs Pontifici persuaferant, vt ad ipsos animum ad-
 uiceret, arbitrabatur Burdesium, utpote Gallum, & ad summa Re-
 gai negotia adhibitum, vim plurimam apud Gallicos Præsules ha-
 biturum ad compensandam apud eosdem, quasi per æquipondium,
 Lotharingi auctoritatem, vbi hic illà vt immoderatiùs tentasset.
 Huiusce rei rumore ad Mantuanum delato, significauit Vicecomi-
 ti per Archiepiscopum Iadrensem, se æqui bonique facturum quid-
 quid Pontifex decreuisset, sed tenuem ex eo fructum suo iudicio
 sperandum esse: fieri non posse, vt Burdesius apud Gallos obfiste-
 ret Lotharingo, qui gradu Princeps, doctrinà præcellens, missus eò
 fuerat tamquam suorum Præsulum antesignanus: & ex altera par-
 te eundem Lotharingum offensum, tum collatione, tum hominis
 sibi collati inæqualitate, conaturum fortasse reipsa ostendere, quan-
 tum ipse auctoritate ac virtute præposset: Nauagerum nec Theo-
 logiæ neque Canonum esse peritum, adeoque illis negotiis haud fa-
 tis idoneum. De Lotharingi prudentia, aliisque dotibus ad pru-
 dentiam spectantibus nihil dixit, quò per se Pontifex animaduerte-
 ret, nullam earum in illo desiderari; quin eò validiores in ipso es-
 se, quò fortior pollet vigor mentis, si vigor manus illi respondeat.
 Simonetta pariter contrariam huic consilio mentem suam patefecit
 Vicecomiti. Et sanè non poterat molesta non accidere antiquis Le-
 gatis nouorum collegarum adiectio, quamuis sibi non præcellen-
 tium: argumento siquidem foret, aut eos muneri non plenè suffi-
 cere, aut ipsis Pontificem non plenè fidere. Quin hoc ipsum sua-
 pte naturâ effecisset, vt illi qui ob experientiam agmen ducebant,
 minùs sollicitè successus prosperos curassent in posterum, vt qui
 nouo sociorum subsidio tribuendi essent.

Cùm igitur ipsi munus legationis integrum prosequerentur ac-
 vellent, nec labori corporis, nec animi sollicitudini quidquam par-
 cebant, vt ad prosperum exitum rem perducerent. In cœtu gene-
 rali 20. Octobris, positâ sententiarum discrepantiâ de præcipua con-
 trouersia, & expetitarum mutationum multitudine in reliquis De-
 cretis, alij quatuor adiecti sunt^c Patribus, ad formandos Canones
 ac Decreta selectis, quò simul omnes illorum formam singulis gra-
 tam conficerent. Hi fuerunt tres Præsules Dominicani, Naclan-
 tus,

^c Epist. Le-
 gatorum ad
 Borromæum,
 12. Octobris
 1562. & Acta
 Paleotti.

rus, Marinus, & Fuscararius, & cum ipsis Castanea. Incredibile est, quantâ solertiâ & obseruatione fuerint excogitatæ ac perpensæ innumeræ formulæ ac voces ad supremum illum Canonem perficiendum; cum exquirentur eiusmodi, quæ dogma Fidei plenè declarantes, nullum simul aditum relinquerent, ne animis quidem affectu occupatis, ad interpretationes habendas aut discordes aut certè alienas à Fide. Denique nouam formam iam digestam ^d Legati detulerunt Hispanis vesperi die 28. quò eam concorditer referrent ad cœtum crastinum: sed ab illis minimè comprobata. Quare, quâ ob duritiam indignati, quâ concordiam desperantes, apud se statuerunt adhuc illam proponere, suffragiisque committere. Verùm deferuescente in ipsis æstu per algorem ^e noctis, postridie manè cum Præsulibus sibi intimis consilium habuere ad aliquam concordia rationem ineundam. Dum hæc illi agitarent, complures Hispani Præsules petierunt ab ipsis colloquium, inter quos Guerrerus & Aiala ardentius locuti sunt: Iure optimo ab ipsis peti, vt apponeretur Canon ille, qui ætate Iulij III. constitutus fuerat; vtque dum agebatur de Sacramento Ordinis, ac de Hierarchia, minimè dissimularentur prerogatiuæ à Christo traditæ Episcopatu, qui supremus est inter Ordines, & gradus præcipuus hierarchiæ. Id vbi recusaretur, conquesturos se apud Regem Catholicum, ac reliquos Principes, nec cœtibus interfuturos. Adiecit præterea Guerrerus ^f, à se grauissimæ sibi contumeliæ verti, quòd à quibusdam idcirco notarentur modicæ fidei in Apostolicam Sedem: in hoc se nemini concedere; & ad firmissimum fidelitatis suæ argumentum sibi probari, vt poneretur in Canone, Episcopos ex Iure Diuino subiectos esse Romano Pontifici, & ad ipsi parendum obstrictos. Præsides cum eos inflammatos animaduertent, censuere longam cum ipsis disputationem esse declinandam: in eo quippe statu quæcumque adhibeatur ratio, perinde se habet, ac cibus in incremento febris ingestus, qui naturalem calorem non reparat, & febris æstum exasperat. Quapropter Mantuanus ipsis generatim respondit per summam vrbanitatem ac moderationem, se & collegas haud prætermitturos muneri suo satisfacere, quemadmodum hætenus præstiterant, & res à se antea gestæ testabantur. Leni quoque ratione eos cohortati sunt ad quietem, communiq; Synodi sententiæ se submitterent; vtrumque enim Ecclesiæ commodo à quouis probo Præsule, & normæ virtutis politicæ à quouis probo ciue debebatur.

3 His dictis eos dimiserunt: sed ea denuntiationis species grauem

Ee 3

folli-

1562.

^d Litteræ Legatorum ad Borromæum, 28 Octob. 1562.

^e Litteræ Legatorum ad Borromæum, 1. Nouembris 1562. & Fuscararij ad Moronum, 2. Nouembris, & Acta Salmanticensis Episcopi.

^f Acta Salmanticensis Episcopi.

1562. sollicitudinem Legatis iniecit, considerantibus, tametsi totius nationis nomine id expositum non fuisset, & sciretur quibusdam aliam inesse mentem, complures tamen in eo conuenisse, & ex præcipuis; adeoque verebantur ne aduenientes Galli in vnum coalescerent cum iam commotis Hispanis in articulo promouendo, qui videbatur vniuerso Episcoporum ordini fauere; atque ne ob eandem causam fieret illis multorum Itatorum accessio, si à conuentibus illi se abstinerent, pro eo ac denuntiarant: facile ab iisdem recessuros suorum Principum Oratores; ac potissimum Cæsareos id effecturos, vbi, sicuti fama erat, Philippi Regis Orator ad Concilium accederet Comes Lunensis, qui apud Cæsarem Regemque Bohemiæ diutius commoratus, cum illis Principibus animi sensibus & amore arctè coniungebatur, ac proinde illi parti suorum Hispaniensium Lunensem fauturum, quæ præter numeri prærogatiuam cum Germanis sentiret; hos verò tam valido fœderato confisos audacius tumultuatos. Quamobrem timendum erat, ne eiusmodi secessio fieret, ob quam Synodus parum honorificè dissolueretur, relicta mortalium iudicio dubitatione, cuiam id vitio tribuendum.

Inter hanc cogitationum anxietatem ambiguitatemque nocte à Legatis transactâ, manè ad eos accessere quadraginta circiter Italicæ Præsules, quorum duces erant tres Patriarchæ, & aliquot Archiepiscopi. Petiere, vt in septimo Canone iam proposito nulla fieret mutatio, quam inaudierant ab Hispanis postulari. Æquum non esse, minorem numerum maiori anteire, ac præsertim in articulo spectante ad summi Pontificis auctoritatem, quæ vtrique in sua firmitate seruanda erat, & disputationi neuti quam exponenda. Eos prætereà rogarunt, ne paterentur amplius in cuiusvis gratiam tempus teri, sed cœtus sollicitarent, cum supra modum esset necessaria Synodi absolutio, tum quò liberarentur ab incommodis iam penè intolerabilibus illius domiciliij, tum quò vniuersalis Ecclesiæ incolumitati promulgatione Decretorum, & peculiari bono Episcoporum reditu consulere.

Postrema hæc Itatorum petitio nonnihil admirationis peperit in Legatis, quippe quibus non videbantur ipsi tam lentè se gessisse, vt stimulis indigerent. Communi nomine respondit Mantuanus, ad primum caput: Se agere ipsis grates ob pium postulatam: idem quoque esse Legatorum propositum, adeoque nihil mutatum iri absque accuratissima consultatione. Ad alterum dixit, Satis quidem à Legatis agnosci absolutionis necessitatem; sed ob difficultates

g Extant in
adductis te-
stimonis, &
in epistola
Iadrensis Ar-
chiepiscopi,
2 Nouem-
bris 1562.

tes iam compensas illius septimi Canonis, vnum aut alterum diem fuisse conuentus protractos, ea ipsâ morâ ad celeritatem directâ; quam sanè impenderant in exquirenda forma cunctis accepta, adcoque ne per discordiam esset aut retardanda Sessio, aut corrupendus fructus, quem illius Concilij conuocatione Pontifex quaesierat, & Christiana Respublica expectauerat.

6 Huiusmodi postulatam Italorum, quod obliquè exprobrabat, nimium Hispanis tribui, Legatos id temporis remouit ab eo concilio, quo antea statuerant communicare cum Hispanis nouam Canonis formam, quam deinde ipsis consentientibus conuentui proponerent; vt qui malebant adire periculum vt illa reiceretur à conuentu, hoc est à legitimo Tribunali, quàm vt ipsi subderentur censuræ paucorum illorum Præsulum, quibus non plus auctoritatis inerat, sed plus audaciæ quàm ceteris; atque vt illis se magis inclinarent, quia minùs iidem suis se maioribus inclinabant. Verùm sicuti caloris æstus, altiùs quàm par est consilia attollentis, illicò temperatur in animis ab annis & experientia tepesfactis; ita postea concordia studium ad transigendæ rei consilia ipsos retraxit^h. Vanam esse ac popularem gloriam, decertasse, præsertim in homine, qui pacificas artes proficitur; honestissimam victoriam euadere eam quæ Reipublicæ maximè conducibilis est, nimirum prosperum expeditionis successum cum vniuersali comprobatione, quâ ille & utilior & stabilius redditur. Meminerunt itaque, cuiusdam Canonis formam ab Archiepiscopo Lancianensi & Mutinensi Episcopo ipsis delatam fuisse, quæ tametsi obscurior erat, eam tamen iidem Hispani per legitimam sententiam interpretabantur. Quare vnâ cum Auditore Paleotto coeuntes adiecerunt animum ad eandem ipsam perficiendam, verbisquæ expresserunt id quod animo à se intelligi affirmabant Hispani: tum per Castaneam & Lainium ab Italis eam comprobendam curarunt, post quorum consensum Hispanis erant eandem exhibituri. Verba à variis variè recensentur. Cùm enim ea omnia trutinâ exactissimâ ponderarentur, eorum aliquod in horas singulas mutabatur. Nos illa referemus perinde ac ipsa comperimus in Actis Paleotti, qui sæpè eorum auctor erat, semper verò antea consiliarius, postea custos. *Anathema sit, si quis dixerit, Episcoporum auctoritatem ordinandi, confirmandi, & docendi, non esse de Iure Diuino, seu potestatem iurisdictionis quam habent Episcopi, non fuisse traditam à Christo in Romano Pontifice ipsius Vicario, quæ ab ipso in Episcopos deriuatur, cum in partem sollicitudinis assumuntur: aut qui diceret, Episcopos non esse superiores Presbyteris.* Itali difficiles ad hæc se præbue-

^h Litteræ Legatorum ad Borromæum, 2. Nouembris 1562. & Acta Paleotti.

1562. præbuere; alij, quòd probro sibi verterent, tantum alterius nationis voto concedi; alij, quòd prior Canonis pars sibi nimis ampla, & posterior de Episcoporum potestate nimis angusta visa est. Nec deerat qui certamen cuperet, quòd scripto & operà de Sede Apostolica bene mereretur. Sed religiosiores prudentioresque intelligebant, verum emolumentum pacifici diuturnique possessoris esse, non litigare. Quapropter hæc tandem vniuersalis Italorum responsio à Patriarchis Hierosolymitano ac Veneto reddita est: Daretur opera Hispanis pacandis: si hi acquiescerent huiusmodi formæ, se quoque ex pacis desiderio eam accepturos; sin decertandum esset, expressiorem clarioremque à se expeti: sed Hispanorum animi à Soto tentati, nequaquam se faciles exhibuere, recusante Guerro ea verba ¹, *in partem sollicitudinis*, ac pronuntiante, certum non esse, à Romano Pontifice assumi Episcopos.

† Litteræ Legatorum ad Borrom. 2. Nouemb. 1562.

† Litteræ Borrom. ad Legatos, 19. Octob. is, eorumque responsio ad eundem, 5. Nouembr. 1562.

† Ex Actis Paleotti ubi extant singulorum sententiæ, & ex litteris Legatorum ad Borromæum, 5. Nouemb. 1562 & Fuscarij ad Moronum, 3. & 5. Nouembr. & ex epistola Ladrensis Archiepiscopi, eodem tempore.

Non interfuerat his postremis congressibus Seripandus ægrotus decumbens; & vbi primùm digestam formam cognouit, illam repudiavit, & tamquam ambiguam subiectamque sinistris interpretationibus, ad quas euitandas huiusmodi definitiones admittendæ non sunt, & tamquam omnino aliam ab ea, quæ antè missa fuerat ad Pontificem; qui tandem etiam Legatos ^k monuerat, vt ab omni verborum ambiguitate in eo argumento declinarent, vt quæ facillè detorqueri posset in explicationes consecutionesque deteriores. Quamobrem nouum ac tutius exemplar Canonum ac doctrinæ elaboratum est. Et Canon septimus reformatus, erat huiusmodi: *Anathema sit, si quis dixerit, non fuisse institutum à Christo, vt in Ecclesia Catholica sint Episcopi: ipsosque, cum assumuntur in partem sollicitudinis à Romano Pontifice, eius Vicario in terris, non esse veros ac legitimos Episcopos superiores Presbyteris; nec habere eandem dignitatem eandemque potestatem, quam hæctenus obtinuerunt.* De hac noua forma ^l dici sententiæ cœptæ sunt accuratissimè simul ac longissimè. Et Granatenis in sua defixus opinione negarat, Episcopos à summo Pontifice vocari in partem sollicitudinis; affirmabatque, eosdem esse Christi non Pontificis Vicarios: cui Legati respondendum curarunt in subsequētis cœtibus efficaciter ac modestè à Præsulibus præcipuis, quibus ius erat dicendæ sententiæ post Guerrerum, præsertim verò à Marino Archiepiscopo Lancianensi, & à Marco Antonio Columna Tarantino, illustri postea Cardinale.

Initio pauci Hispaniensibus vniuersè consensere in hac definitione postulanda de Institutione Episcoporum: sed in posteris contentibus auctus est asseclarum numerus. Et validissimum his erat telum,

telum, quòd huiusmodi declaratio^m aetate Iulij non modò digesta fuerat à selectis Præfulibus, sed à Patribus confirmata, nec nisi eiusdem promulgatio in Sessione supererat; adeoque contra ius fasque quodammodò videbatur, id nunc Episcopis auferri, quod ipsis tunc concorditer adiudicatum fuerat. Quamobrem cum sæpè magis moueantur hominum conuentus ab exterioribus causis, quippe patientioribus, quàm ab interioribus, quippe disputationi magis obnoxiiis, ea Patrum auctoritas, sedente Iulio coeuntium, complures iam in hanc sententiam traxerat. Comperto igitur, quantum obesset hæc vniuersalis opinio, necessitas solertiam exacuit ad certius exquirendum id quod eousque per incuriam positum pro vero fuerat. Et planè accidit quod interdum in scholis philosophantium contingit, vbi, postquam diu nauiter desudatum est in soluendis argumentis aliquo narrato experimento nixis, tandem re per periclitationem discussâ, narratio falsa detegitur. Episcopus Telesæ, qui in Iulij conuocatione à secretis fuerat, commentariis denuò illustratis, reperit illum Canonem non modò tunc à Patribus non firmatum, sed ne expensum quidem fuisse. Quo supra modum gauisi Legati; eorumque Princeps retulit in cœtum quintâ Nouembris rei veritatem. Granatensis, cum primùmⁿ huiusmodi definitionem in conuentu flagitauerat, afferens tamquam præcipuam causam antecedentem illius confirmationem, produxerat testimonium Aialæ, & Octauij Præconij, ex Ordine Minorum Obseruantium, tunc Archiepiscopi Panormitani, & olim Monopolitani, qui ambo secum illi conuentui interfuerant. Ij tamen cum postea sententiam ex ordine dixerunt; illud ipsum testimonium non confirmarant, sed silentio præterierant. Verùm Aiala in priuatis congressibus cum Legatis, vnà cum ceteris Hispanis narrationem comprobabat; quare is postea auditis quæ Mantuanus retulerat, cum postmodum loquendi rursus locum habuit, iterum confirmauit, in Iulij conuentu fuisse id perpensum à Patribus, & statutum; & pro rei argumento ac monumento protulit scriptam tunc à se recitatamque sententiam, vbi vel ipsius diei nota visebatur. Hac Aialæ testificatione altè confossus est Mantuanus, quasi mendacij redargutus; sed gnarus, quàm sit honestius summis viris certamen retardare, donec illud vnà cum victoria eodem tempore sit habendum, per profundam dissimulationem diem posterum præstolatus, afferendum curauit à Telesæ Episcopo volumen authenticum: qui Episcopus cum præmisisset, se honesti studiosum esse, & idcirco deletum à duobus summis Pontificibus, vt illi sacrosancto Concilio

Pars III.

F f

à secre-

1562.

m Præter Acta in Arce Aia, 7. Nouemb. Litterarum Legatorum ad Borrom. 8. Nouemb. 1562. & Fuscarij ad Moronum 9. Nouemb. Acta Musotti, 7. Nouemb. Ep. sc. Salmanticensis, arcanæ notæ Vicecomitis ad Borrom. 9. Nouembr. & Archiep. Iadrensis, 9. Nouemb. 1562.

n In arcanis notis Vicecomitis ad Borrom. 25. Octobr. 1562.

Historia
Concilij Tridentini
Pars III.
S. 17

1562. à secretis esset, testatus est, eos quos proferebat Commentarios, tantummodò extare in Actis Iulij super eâ re: eorumque lectâ sententiâ palàm fecit, quæ Mantuanus narrauerat vera esse. Quin etiam ostendit, eo die quo affirmabat Aiala dictam à se fuisse de iam memorato Canone sententiam, ne dum quidem Patres ad formandos Canones fuisse destinatos. Si quis nollet habere fidem sibi, ac publicis Concilij Scribis, qui Actis subscripserant, denegandam illam non esse saltem Legato ac Præsidibus eâ tempestate, à quibus tamquam legitima ea fuerant recognita.

Narrat Suauis, de iis Mantuanum & Aialam plurimum contēdisse, & integrum conuentus spatium occupasse, atque ab utroque sibi arrogari rationem ob ambiguam significationem Decreti Canonisque stabiliti sub Legato Crescentio, cum illic diceretur: *Docet præterea sancta Synodus, audiendos non esse eos, qui dicunt Episcopos non esse institutos Iure Diuino, cum manifestò constet ex litteris Evangelicis, ab ipso Christo Apostolos fuisse vocatos promotosq; ad gradum Apostolatus, quibus subrogantur Episcopi: nec debet in mentem cadere, hunc tam necessarium & eminentem gradum inductum in Ecclesiam fuisse humanâ institutione: id enim esset detrectare, ac paruifacere Diuinam Providentiam, quæ in rebus nobilissimis deficeret.* Ac dein Suauis hæc habet: *Octo quoque Canones notati sunt, quorum octauus dicebat: Si quis dixerit, Episcopos non esse institutos Iure Diuino, aut superiores non esse Presbyteris, aut non habere auctoritatem ordinandi, aut hanc etiam Presbyteris conuenire, anathema sit.* Et subdit: *Vnusquisque ab aliqua opinione iam occupatus, in singulis quæ legit, eam nanciscitur; mirumq; non est, si ambo hi Præsules suam quisque nancisceretur in iisdem verbis, quæ intelligebantur à Pontificiis dicta esse de sola Ordinis potestate, ab Hispanis vero de vniuersa, quæ Ordinem & iurisdictionem comprehendant; tametsi quidam ex Pontificiis existimarent, Mantuanum, consulto simulantem se cum reliquis consentire, vetus Decretum legendum curasse, non quo suam, sed quo Hispanorum sententiam, quam in sinu celabat, confirmaret.*

o Paret ex supra allatis testimoniis.

Cuncta hæc falsa esse liquidò demonstrantur. In primis, Legati^o citra omnem dubitationem significarunt Borromæo, Aialam à se conuictum fuisse, palamque conuentui factum, illud minimè stabilitum sub Crescentio, ne verbo quidem adiecto aut de nouis responsis ab Aiala redditis, aut de alio Canone ac Decreto super hac re ætate Iulij confirmato. In eandem sententiam ad eundem Borromæum scripsit Vicecomes arcanis notis. Idem retulit in sua Acta Musottus, & fufius Paleottus in sua. Præterea Suauis aliquid viderat quod fidem omnem adimebat Aialæ testimonio, quodque adscri-

adscribi non potest ambiguae verborum intelligentiæ: In memorato volumine litterarum Vicecomitis, quod similiter extat in litteris Legatorum, fuisse ostensum ab Episcopo Telesinæ, qui à secretis erat, nedum quidem fuisse destinatos Patres ad Canones ac Decreta formanda eo die, quo autumabat Aiala ex sua scripta scheda à se super eo themate dictam sententiam. Pergamus, producamusque testes duos Antistites, huiusmodi definitionis studiosos, Archiepiscopum Iadrensem, & Mutinensem Episcopum, qui illi parti fauebant. Hi rem gestam perscripserunt, alter ad Cornelium, alter ad Moronum, æque ac ego narraui, ne mentione quidem factâ vllius ambigui scripti, quod repertum fuerit sedente Iulio confectum. Præter hos Petrus Consalvus de Mendoza Episcopus Salmanticensis in suis Actis id ipsum disertè narrat; quin duas addit condiciones, quæ Suavis mendacium nimis deturpant. Vna est, Aialam Diuino consilio, cui libitum fuit hominis ægrimoniam mitigare, à conuentu abfuisse eo die, quo Episcopus Telesinæ Mantuani iussu rem gestam patefecit, & quem diem fingit Suavis fuisse integrè insumptum contentionibus inter Mantuanum & Aialam. Altera est, Mantuanum ægerrimè passum, Aialæ testificationem aduersus quæ ipse dixerat redditam, cui tribuit iniunctum fuisse, vt illi qui à secretis erat, suas sententias scripto traderet, quasi non sinceram doctrinam, cum is reuocasset in dubium, sicuti narrauimus, An Ordinis Sacramentum eam infundat gratiam, quæ nos efficit Deo gratos & amicos; & prætereà, an imprimat characterem, per quæ videbatur superiorum definitionum firmitatem labefactare. Vsq̄ adeò abhorret ab omni specie veritatis fama illa, quam Suavis excitatam comminiscitur, conatum videlicet Mantuanum eâ scriptorum lectione comprobare sententiam, cui ad speciem aduersabatur.

11 Controuersia itaque haud perinde se habuit ac eam Suavis depingit: Num verba sub Crescentio Legato parata hanc illamve significationem importarent: in quo casu quis non animaduertet, vtramque partem facile conuenturam, acceptis denuò iisdem verbis, & à singulis partium intellectis secundum eam sententiam, quam sibi sonabant? At verò quamquam eiusmodi verba suapte naturâ sanissimam innocentissimamque sententiam continerent, consultò Legati ea reiecerunt, ad vitandam in argumento tam delicato quamcumque ambiguitatem, quæ postea in sementem seditionis in Ecclesia conuerti posset. Sed certamen fuit, quoniam Mantuanus quintâ Nouembris narrauerat, fuisse Canonem illum

1562. sub Iulio digestum à selectis Patribus, sed postea ne delatum quidem in generalem cœtum, nedum ab eo confirmatum, sicuti dicebatur: cui narrationi cum Aiala postredie restitisset, eadem die postero comprobata est, allatis ab Episcopo Telesinæ legitimis tabulis.

Iam verò ex iis quæ Seripandus in sua peculiari narratione huius rei gestæ notauit, & nos oculis vspiciimus in Actis authenticis Arcis Æliæ, solum exceptis quibusdam minutulis, quæ illic non habentur, res gesta sedente Iulio ita se habuit. Post quartam Sessionem die tertio Decembris anno 1551. commissus fuerat Minorum Theologorum censuræ inter alios hic articulus, *Episcopos non esse Iure Diuino institutos, nec Presbyteris superiores, nec ius obtinere ordinandi; aut si obtinent, illud esse Presbyteris commune, eorumq; ordinationes absque populi consensu irritas esse.* Eo examine absoluto die 29. Decembris, descriptum fuit exemplar doctrinæ, & à Patribus expensum, auditæque de eo sententiæ sunt complures dies; tum decimo quarto Ianuarij anno 1552. selecti sunt octodecim ex Patribus illud reformaturi, simulque inde Canones extracturi; ex quibus octodecim Patribus tres illic præsentis nominauit Antistes Telesinæ, cum septimo, vti diximus, Nouembris die ordine rem gestam exposuit: ij verò erant Guerrerus, Naclantus, & Præconius. Hi selecti Patres decimo octauo Ianuarij die cum reliquis Præsulibus formam Canonum à se digestam communicarunt: & inter Canones quidam erat, quo memoratus articulus damnabatur, exceptâ postremâ particulâ de ordinationibus absque populi consensu habitis, fortasse ob eam difficultatem quam postea Galli obiecerunt. Et vigesimo ac vigesimo primo die exemplar doctrinæ tradiderunt, vt illic stabiliretur, quod erat quale suo rudi Italico stilo refert Suauius: sed non modò illud ibi firmatum non fuit, sed ne sententiæ quidem super eo à Patribus dictæ sunt, propterea quòd Oratores Septemuiri Saxonis Ducisq; Wirtembergici petiere, vt earum rerum tractatione tantisper superfederetur, dum ipsorum Theologi audirentur. Quapropter die 25. Ianuarij quinta Sessio celebrata est, prorogatis Decretis, quæ postea nunquam ad trutinam reuocata sunt, nedum promulgata. Putauerim equidem falsum ab Aiala fuisse narratum non datâ operâ, sed imprudenter; cumque reuera ille articulus aliquâ ratione fuisset expensus ætate Iulij, hinc illum post tot annos lapsum esse vitio memoriæ, quæ sæpè inter incertæ mentis tenebras amore sui deprauata, nobis ipsis testatur, confidentiâ parum fideli, id quod optamus.

Ita

Ita se habuit certamen illud inter primum Legatorum, & Segouiensem Antistitem: & reipsâ huiusmodi erat rationis fundamentum. Quisnam postea præcipuæ controuersiæ fuerit exitus, post multum temporis ac negotij, in historia constabit. Etenim quemadmodum Natura plus artis ac laboris impendit in ea opera, quorum effector ac receptor vnus & idem est, & in quibus vita bonaque constitutio cuiuslibet animantis fita est; ita prudentes hominum cœtus summam impendunt solertiam iis decisionibus, quarum iudices & iudicati iidem ipsi sunt, & ex quibus vita bonaque Reipublicæ constitutio pendet.

CAPVT XVII.

Diploma Pontificis ad reformanda Vaticana Comitia. Mantuani propositio in conuentu de Mansione. Regis Catholici litteræ ad Hispanos Præsules. Cesaris litteræ ad suos Oratores. Sessionis prorogatio Gallis postulantiibus prius Pontifici probata, postea improbata, sed serò. Lotharingi Cardinalis aduentus.

DVm Patres tam acri studio rem gerebant, Pontifex suam quoque operam nauiter locabat. Quò Reipublicæ Christianæ ac Synodo satisfieret, duo potissimum necessaria censebantur; emendatio Aulæ Romanæ, & Episcoporum mansio suas apud Sedes. Quod ad prius spectabat, complures à Paulo III. ac successoribus editæ fuerant salutares Constitutiones, quæ paulatim suauiter deleuerant plurimas ex pristinis corruptelis, partim, vt affolet, ab negligentia inductis, partim ab indulgentia. Sed adhuc reformandum supererat opus supra reliqua conspicuum, & à quo rectè constituto reliquorum probitas manat, hoc est, summi Pontificis electio. Hæc, quæ omnium inter mortales optimè constituta esse deberet, omnium pariter difficillimè institui posse ab humana prudentia noscebatur: leges reliquæ vim capiunt ad regendum à brachio executoris, dominantis in eos qui legibus obligantur; hinc lex præscribitur eiusmodi capitibus, quæ nullum sibi Principem agnoscunt cum illa obseruanda est. Ex altera parte, in re tantiponderis, priuatarum animi affectionum quasi incantatio, maximorumque Principum respectus, id cuique tamquam licitum depingunt quod in rem suam conducit. Iulius III. sicuti narrauimus, diploma post diuturnam consultationem dictauerat ad reformanda Comitia Pontificia: sed antequam ea lex à solemnibus promulgatione